



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De inani gloria, qu[a]e similiter oppenitur magnanimitati. Qu[a]estio 132.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

præsumptio. Præsumptio enim attentat aliquod magnum opus supra suam facultatem. Ad aliud autem respicit magnanimitas, sicut ad materiam qua debite vitur, scilicet ad honorem. Et quantum ad hoc opponitur magnanimitati per excessum ambitio. Non est autem inconueniens secundum diuersa esse plures excessus vnius medij.

Ad secundum dicendum, quod illis qui sunt constituti in dignitate, propter quamdam excellentiam status debetur honor. Et secundum hoc inordinatus appetitus dignitatum pertinet ad ambitionem. Si quis enim inordinatè appeteret dignitatem, non ratione honoris, sed propter debitum dignitatis usum suam facultatem excedentem: non esset ambitiosus, sed magis præsumptuosus.

Ad tertium dicendum, quod ipsa solemnitas exterioris cultus ad quemdam honorem pertinet. Vnde & talibus consuevit honor exhiberi. Quod significatur Iac. 2. Si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulū habens in veste cādida, & dixeritis ei, Tu sede hic bene, &c. Vnde ambitio nō est circa exteriorem cultum, nisi secundum quod pertinet ad honorem.

QVÆST. CXXXII.

De inani gloria, in quinque articulos diuisa.

Deinde considerandum est de inani gloria.

- ¶ Et circa hoc queruntur quinque.
- ¶ Primo, vtrum appetitus gloriae sit peccatum?
- ¶ Secundo, vtrum magnanimitati opponatur?
- ¶ Tertio, vtrum sit peccatum mortale?
- ¶ Quarto, vtrum sit vitium capitale?
- ¶ Quinto, de filiabus eius.

ARTIC. I.

Vtrum appetitus gloriae sit peccatum?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod appetitus gloriae non sit peccatū. Nullus enim peccat in hoc quod Deo assimilatur: quinimo mandatur ad Ephes. 5. Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi. Sed in hoc quod homo querit gloriam, videtur Deum

655
Mal. 9. 9
a. 1. 6. 2
cor.

Sec. Sec. Vol. iij.

G imi-

imitari, qui ab hominibus gloriam querit. Vnde dicitur Isaia 43. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terrarum: & omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creauit eum. Ergo appetitus gloriæ non est peccatum.

lib. 1. non remotè a princ. ¶ 2 Præterea, illud per quod aliquis prouocatur ad bonum, non videtur esse peccatum. Sed per appetitum gloriæ homines prouocantur ad bonum. Dicit enim Tullius in lib. * de Tusculan. quæstionibus, quod omnes ad studia incenduntur, gloriæ. In sacra etiam Scriptura promittitur gloria pro bonis operibus, secundum illud ad Rom. 2. His quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem. Ergo appetitus gloriæ non est peccatum.

lib. 2. de inu. fo. 3. ante finē libri. Tid habet Aug. in l. 83. 97. q. 3. cir. fin. to 4. ca. 13. in prin. to 5 tra. 82. et 100 non longè a princ. C. 104. non procul a fin. to. 9. ¶ 3 Præterea, Tullius * dicit in sua Rhetor. quod gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Et ad idem pertinet quod Ambrosius dicit †, quod gloria est quasi clara cum laude notitia. Sed appetere laudabilem famam, non est peccatum: quinimò videtur esse laudabile, secundum illud Ecclesiast. 41. Curam habe de bono nomine. Et ad Romanos duodecimo, Prouidentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Ergo appetitus inanis gloriæ non est peccatum.

SED contra est, quod August. dicit §. * de Ciuitate Dei, Sanius videt, qui & amorem laudis vitium esse cognoscit.

RESPONDEO dicendum, quod gloria claritatem quamdam significat. Vnde glorificari idem est quod clarificari: vt Augustin * dicit super Ioan. Claritas autem & decor quamdam habent manifestationem. Et ideo nomen gloriæ propriè importat manifestationem alicuius de hoc quod apud homines decorum videtur, siue illud sit bonum corporale aliquod, siue spirituale. Quia verò illud quod simpliciter clarum est, à multis conspici potest, & a remotis: ideo propriè per nomen gloriæ designatur quod bonum alicuius deueniat in multorum notitiã & approbationem.

Secun-

secundum quod Salustius dicit in Caulinario, Gloria-
 ri ad vnum non est. Largius tamen accepto gloriae no-
 mine, non solum consistit in multitudinis cognitione,
 sed etiam paucorum, vel vnus, aut sui solius: dum
 scilicet aliquis proprium bonum suum considerat, vt
 dignum laude. Quod autem aliquis bonum suum co-
 gnoscat & approbet, non est peccatum. Dicitur enim
 ad Corinthios 1. Nos autem non spiritum huius mū-
 di accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: vt sciamus
 quae a Deo donata sunt nobis. Similiter etiam non
 est peccatum, quod aliquis velit bona opera sua ab
 alijs approbari. Dicitur enim Matth. 5. Luceat lux
 vestra coram hominibus. Et ideo appetitus gloriae de
 se non nominat aliquid vitiosum. Sed appetitus ina-
 nis vel vanae gloriae, vitium importat. Nam quodlibet
 vanum appetere, vitiosum est: secundum illud Psal. 4.
 Vt quid diligitis vanitatem, & quaeritis mendacium?
 Potest autem gloria dici vana tripliciter. Vno modo
 ex parte rei, de qua quis gloriam quaerit: pura cum
 quis quaerit gloriam de eo quod non est; vel de eo,
 quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragi-
 li & caduca. Alio modo, ex parte eius, a quo quis
 gloriam quaerit: puta hominis, cuius iudicium non
 est certum. Tertio modo ex parte ipsius qui gloriam
 appetit, qui videlicet appetitum gloriae suae non re-
 fert in debitum finem, puta ad honorem Dei vel pro-
 ximi salutem.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Augusti-
 nus * dicit super illud Ioan. 13. Vos vocatis me ma-
 gister & domine, & bene dicitis. Periculosum est sibi
 placere, cui cauendum est superbire. Ille autem qui su-
 per omnia est, quantumcumque se laudet, non extollit
 se. Nobis namque expedit Deum nosse, non illi. Neq-
 ue quisque cognoscit, si non se indicet ipse qui no-
 uit. Vnde patet quod Deus suam gloriam non quaerit
 propter se, sed propter nos. Et similiter etiam homo
 laudabiliter potest ad aliorum vtilitatem suam glo-
 riam appetere: secundum illud Matthaei quinto, Vi-
 deant

tr. 58. nō
 mul. pro-
 cul a pr.
 to. 9.

deant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.

Ad secundum dicendum, quod gloria quæ habetur à Deo, non est gloria vana, sed vera. Et talis gloria bonis operibus in præmium repromittitur: de qua dicitur secundæ ad Corinthios 10. Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Provocantur etiam aliqui ad virtutum opera ex appetitu gloriæ humanæ, sicut etiam ex appetitu aliorum terrenorum bonorum. Non tamen est verè virtuosus, qui propter humanam gloriam opera virtutis operatur, vt August. probat in 5.^o de ciuit. Dei.

e. 12. cir.
mcd. 10. 5

Ad tertium dicendum, quod ad perfectionem hominis pertinet, quod ipse se cognoscat. Sed quod ipse ab alijs cognoscat, non pertinet ad eius perfectionem. Et ideo non est per se appetendum. Potest tamen appeti, in quantum est vtile ad aliquid: vel ad hoc, quod Deus ab hominibus glorificetur: vel ad hoc, quod homines proficiant ex bono quod in alio cognoscunt: vel ex hoc quod ipse homo ex bonis, quæ ipse cognoscit per testimonium laudis alienæ, studeat in eis perseverare, & ad meliora proficere. Et secundum hoc laudabile est, quod curam habeat aliquis de bono nomine, & quod prouideat bona coram Deo & hominibus: non tamen quod in hominum laude inaniter delectetur.

ARTIC. II.

Vtrum inanis gloria magnanimitati opponatur?

656
2. d. 42. q.
2. ar. 4.
art. prac.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod inanis gloria magnanimitati non opponatur. Pertinet enim ad inanem gloriam, vt dictum est *, quod aliquis gloriatur in his quæ non sunt, quod pertinet ad falsitatem: vel in rebus terrenis & caducis, quod pertinet ad cupiditatem: vel in testimonio hominum, quorum iudicium non est certum, quod pertinet ad imprudentiam. Huiusmodi autem vitia non opponuntur magnanimitati. Ergo inanis gloria non oppo-

opponitur magnanimitati.

¶ 2 Præterea, Inanis gloria non opponitur magnanimitati per defectum: sicut pusillanimitas, quæ inani gloriæ repugnans videtur. Similiter etiam nec per excessum. Sic enim magnanimitati præsumptio & ambitio opponuntur, ut dictum est*: à quibus inanis gloria differt. Ergo inanis gloria non opponitur magnanimitati.

q. 130. a.
2. quæst.
præc. a 2.

¶ 3 Præterea, Ad Philip. 2. super illud, Nihil per contentionem aut inanem gloriam: dicit* gloss. Erant aliqui inter eos dissidentes, inquieti, inanis gloriæ causa contententes. Contentio autem non opponitur magnanimitati. Ergo neque inanis gloria.

est glossæ
Ambr in
hunc locum
to. 5.

SED contra est, quod Tullius* dicit in 1. de offic. Cauenda est gloriæ cupiditas. Eripit enim animi libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Ergo opponitur magnanimitati.

in c. om-
nino for-
tis aut.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est*, gloria est quidam effectus honoris & laudis. Ex hoc enim quod aliquis laudatur vel quæcumque reuerentia ei exhibetur, redditur clarus in notitia aliorum. Et quia magnanimitas est circa honorem, ut supra dictum est*, consequens est etiam, ut sit circa gloriam: ut scilicet sicut aliquis moderatè utitur honore, ita etiam moderatè utatur gloria. Et ideo inordinatus appetitus gloriæ directè magnanimitati opponitur.

q. 103. a.
1. ad 3.

q. 129. a.
1. & 2.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc ipsum magnitudini animi repugnat, quod aliquis res modicas tantum appetitur, quod de eis gloriatur. Vnde & in quarto* Ethicorum dicitur de magnanimo, quod sibi sit honor parvus. Similiter etiam & alia, quæ propter honorem quærentur; puta potentatus & diuitiæ, parua reputantur ab eo. Similiter etiam magnitudini animi repugnat, quod aliquis de his quæ non sunt, gloriatur. Vnde de magnanimo dicitur quarto* Ethicorum, quod magis curat veritatem, quam opinionem. Similiter etiam magnitudini ani-

c. 3. ante
me. to. 5.

Ibid ali-
quantu-
lum ante
fin. c. to. 5

mi repugnat, quòd aliquis gloriatur in testimonio laudis humanæ, quasi hoc magnum aliquid æstimetur. Unde de magnanimo dicitur in 4. † Ethic. quòd non est ei cura ut laudetur. Et sic ea quæ alijs virtutibus opponuntur, nihil prohibet opponi magnanimitati, secundum quod habent pro magnis quæ parua sunt.

Ibidem.

*in sol. ad
pra. arg.*

Ad secundum dicendum, quòd inanis gloriæ cupidus, secundum rei veritatem deficit à magnanimo: quia videlicet gloriatur in his, quæ magnanimus parua æstimat, ut dictum est*. Sed considerando æstimationem eius, opponitur magnanimo per excessum: quia videlicet gloriam quam appetit, reputat aliquid magnum, & ad eam tendit supra suam dignitatem.

*q. 127. a.
2. ad 2.*

Ad tertium dicendum, quòd sicut supra dictum est*, oppositio viciorum non attenditur secundum affectum. Et tamen hoc ipsum magnitudini animi opponitur, quòd aliquis contentionem intendat. Nullus enim contendit, nisi pro re, quam æstimat magnam. Unde Philosophus dicit in quarto* Ethicorum, quòd magnanimus non est contentiosus, qui nihil æstimat magnum.

*ca. 3. non
mul. ante
fin. to. 5.*

ARTIC. III.

Vtrum inanis gloria sit peccatum mortale?

*657
Mal. q. 9.
ar. 2.*

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd inanis gloria sit peccatum mortale. Nihil enim excludit mercedem æternam, nisi peccatum mortale. Sed inanis gloria excludit mercedem æternam. Dicitur enim Matth. 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est. Ergo inanis gloria est peccatum mortale.

¶ 2 Præterea, Quicumque surripit sibi quod est Dei proprium, mortaliter peccat. Sed per appetitum inanis gloriæ aliquis sibi attribuit, quod est proprium Dei. Dicitur enim Isai. 42. Gloriam meam alteri non dabo. Et 1. ad Timoth. 1. Soli Deo honor & gloria. Ergo inanis gloria est peccatum mortale.

¶ 3 Præ-

¶ 3 Præterea, Illud peccatum quod est maxime periculosum & nociuum, videtur esse mortale. Sed peccatum inanis gloriæ est huiusmodi: quia super illud 1. ad Theſſal. 2. Deo qui probat corda noſtra: dicit gloſſ. * Auguſtini, Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non ſenſit, niſi qui ei bellum indixerit: quia etſi cuiquam facile eſt laudem non cupere dum negatur, difficile tamen eſt ea non delectari cum offertur. Chryſoſtomus etiam dicit * Matth. 6. * quòd inanis gloria occultè ingreditur; & omnia quæ intus ſunt, inſenſibiliter aufert. Ergo inanis gloria eſt peccatum mortale.

SED contra eſt, quod Chryſoſtomus dicit ſuper ¶ Matth. quòd cum vitia cætera locum habeant in ſeruis diaboli, inanis gloria locum etiam habet in ſeruis Chriſti, in quibus tamen nullum eſt peccatum mortale. Ergo inanis gloria non eſt peccatum mortale.

RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, ex hoc aliquod peccatum eſt mortale, quòd charitati contrariatur. Peccatum autem inanis gloriæ ſecundum ſe conſideratum, non videtur contrariari charitati quantum ad dilectionem proximi. Quantum autem ad dilectionem Dei, poteſt contrariari charitati dupliciter. Vno modo, rōne materiæ, de qua quis gloriatur: puta, cū quis gloriatur de aliquo falſo, quod contrariatur diuinæ reuerentiæ ſc̄i illud Ezech. 28 Eleuatū eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum. Et 1. ad Corinth. 4. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Vel etiam cum quis bonum temporale de quo gloriatur, præfert Deo. Quod prohibetur Hierem 9. Non gloriatur ſapiens in ſapientia ſua: nec fortis in fortitudine ſua: nec diues in diuitijs ſuis. Sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me. Aut etiam cum quis præfert teſtimonium hominum teſtimonio Dei. Sicut contra quosdam dicitur Ioan. 12. Qui dilexerunt magis gloriā hominum, quā Dei. Alio modo ex parte ipſius gloriantis, qui intentionem ſuam

*habetur
in gl. or.
ex Aug.
in epi. ad
Aurel.
qua eſt
54. to. 2.
* hom. 13
in opere
imperfe-
cto, 10. 2.
Ibidem.
q. 24. ar.
12. q. 9.
110. a. 4.
et q. 112.
art. 2.*



c. 14. pau
lo a prin.
somo 5.

refert ad gloriam tamquam ad vltimum finem, ad quem scilicet ordinat etiam virtutis opera: & pro quo consequendo non prætermittit facere etiam ea, quæ sunt contra Deum. Et sic est peccatum mortale. Vnde August. dicit in 5. * de Ciuit. Dei, quod hoc vitium, scilicet amor humana laudis, tam inimicum est pie fidei, si maior in corde sit cupiditas gloria, quam Dei timor vel amor, vt diceret Dominus Ioan. quinto, Quomodo potestis credere, gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à solo Deo est, nõ quærentes? Si autem amor humana gloria, quãuis sit inanis, non tamen repugnet charitati, neque quantum ad intentionem gloriam quærentis: non est peccatum mortale, sed veniale.

Ad primum ergo dicendum, quod nullus peccando meretur vitam æternam. Vnde opus virtuosum amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fiat: etiam si illa inanis gloria non sit peccatum mortale. Sed quando aliquis simpliciter amittit æternam mercedem, propter inanem gloriam, & non solum quantum ad vnum actum: tunc inanis gloria est peccatum mortale.

Ad secundum dicendum, quod non omnis qui est inanis gloriae cupidus, appetit sibi illam excellentiam, quæ competit soli Deo. Alia enim est gloria quæ debetur soli Deo; & alia quæ debetur homini virtuoso, vel diuino.

Ad tertium dicendum, quod inanis gloria dicitur esse periculosum peccatum: non tantum propter grauitatem sui, sed etiam propter hoc quod est dispositio ad graua peccata: in quantum scilicet per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, & nimis de seipso confidens. Et sic etiam paulatim disponit ad hoc quod homo priuetur interioribus bonis.

Vtrum inanis gloria sit vitium capitale? 658
AD quartum sic proceditur. Videtur, quod inanis gloria non sit vitium capitale. Vitium enim quod semper ex altero oritur, non videtur esse capitale. Sed inanis gloria semper ex superbia nascitur. Ergo inanis gloria non est vitium capitale. *inf. ar. 5. q. 1. locis ibi nota.*

¶ 2 Præterea, Honor videtur esse aliquid principalius quàm gloria, quæ est eius effectus. Sed ambitio quæ est inordinatus appetitus honoris, non est vitium capitale. Ergo etiam neque appetitus inanis gloriæ.

¶ 3 Præterea, Vitium capitale habet aliquam principalitatem. Sed inanis gloria non videtur habere aliquam principalitatem: neque quantum ad rationem peccati, quia non semper est peccatum mortale: neque etiam quantum ad rationem boni appetibilis, quia gloria humana videtur esse quiddam fragile & extra hominem existens. Ergo inanis gloria non est vitium capitale.

SED contra est, quod Greg. 31. * Moral. numerat inanem gloriam inter septem vitia capitalia. *l. 31. c. 32*

RESPONDEO dicendum, quod de vitijs capitalibus dupliciter aliqui loquuntur. Quidam enim ponunt superbiam vnum de vitijs capitalibus. Et hi non ponunt inanem gloriam inter vitia capitalia. Gregor. autem in 31. * Moral. superbiam ponit reginam omnium vitiorum; & inanem gloriam, quæ immediate ab ipsa oritur, ponit vitium capitale. Et hoc rationabiliter. Superbia enim, ut infra dicitur *, importat inordinatum appetitum excellentiæ. Ex omni autem bono quod quis appetit, quandam perfectionem & excellentiam consequitur. Et ideo fines omnium vitiorum ordinantur in finem superbiæ. Et propter hoc videtur quod habeat quandam generalem causalitatem super alia vitia, & non debeat computari inter specialia vitiorum principia, quæ sunt vitia capitalia. Inter bona autem per quæ excell-

658
inf. ar. 5.
q. 1. locis
ibi nota.

l. 31. c. 32

l. 31. c. 31

q. 162. a.
1. c. 2.

cellentiam homo consequitur, præcipuè ad hoc operari videtur gloria, in quantum importat manifestationem bonitatis alicuius. Nam bonum naturaliter amatur & honoratur ab omnibus. Et ideo sicut per gloriam, quæ est apud Deum, consequitur homo excellentiam in rebus diuinis: ita etiam per gloriam hominum consequitur homo excellentiam in rebus humanis. Et ideo propter propinquitatem ad excellentiam, quam homines maximè desiderant, consequens est quòd sit multum appetibilis. Et quia ex eius inordinato appetitu multa vitia oriuntur, ideo inanis gloria est vitium capitale.

1. 2. q. 87

a. 2. et 4.

ad 4.

ar. 2. hu-

ius q. 67

q. 101. a.

1. ad 3.

in co ar.

659

su. q. 21.

a. 4. et q.

105. a. 1.

ad 2. 67

inf. q. 138

a. 2. ad 1

Et 2. dist.

42. q. 2.

a. 3. con.

et lit. lec.

2. et mal.

q. 8. a. 1.

con co 2.

et q. 9. a.

3. et q. 13

ar. 3. cor.

71. 23. c. 7

Ad primum ergo dicendum, quòd aliquod vitium oriri ex superbia non repugnat ei, quòd est esse vitium capitale: eo quòd sicut supra dictum est *, superbia est regina & mater omnium vitiorum.

Ad secundum dicendum, quòd laus & honor comparantur ad gloriam (vt supra dictum est *) sicut causa ex quibus sequitur gloria. Vnde gloria comparatur ad ea sicut finis. Propter hoc enim aliquis amat honorari & laudari, in quantum per hoc aliquis æstimat se in aliorum noticia fore præclarum.

Ad tertium dicendum, quòd inanis gloria habet principalem rationem appetibilis, ratione iam dicta*. Et hoc sufficit ad rationem vicij capitalis. Non autem requiritur quòd vitium capitale semper sit peccatum mortale: quia etiam ex veniali peccato potest mortale oriri, in quantum scilicet veniale disponit ad mortale.

ARTIC. V.

Utrum conuenienter dicantur filia inanis gloria esse inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, & nouitatum presumptio?

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter dicantur filia inanis gloriae esse, inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, nouitatum presumptio. Iactantia enim secundum Greg. 23. Moral. *ponitur inter species superbiae. Superbia autem non oritur ex inani gloria, sed potius

tius e conuerso : vt Gregorius dicit 31. Moral. † Ergo iactantia non debet poni filia inanis gloriæ .

† l. 3. r. 1. 31.

¶ 2 Præterea, Contentiones & discordiæ videntur ex ira maxime prouenire . Sed ira est capitale vitium inani gloriæ coniuifum . Ergo videtur quòd non sint filia inanis gloriæ .

¶ 3 Præterea, Chryfoft. dicit super Math. * quòd vbique vanagloria malum est ; sed maxime in † philanthropia, id est, in misericordia, quæ tamen non est aliquid nouum, sed in consuetudine hominum existit. Ergo præfumptio nouitatum non debet specialiter poni filia inanis gloriæ .

innuitur h. m. 19. à med. in opere im perfetto 80. 2.

SED contra est auctoritas Gregor. in 31. Moral. † ubi prædictas filias inanis gloriæ assignat .

† philanthropia . l. 31. c. 31 q. 34. a 5 & q. 35. a. 4. & 1 2. q. 84. a. 3. et 4. art. præc. & ar. 1. huius q.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra dictum est *, illa vitia quæ de se nata sunt ordinari ad finem alicuius vitij capitalis, dicuntur filia eius . Finis autem inanis gloriæ est manifestatio propriæ excellentiæ, vt ex supra dictis patet † . Ad quod potest homo tendere dupliciter . Vno modo, directe, siue per verba : & sic est iactantia . Siue per facta : & sic si sint vera habentia aliquam admirationem, est præfumptio nouitatum, quas homines solent magis admirari . Si autem falsa sint, sic est hypocrisis . Alio autem modo nititur aliquis manifestare suam excellentiam, indirecè, ostendendo se non esse alio minorem . Et hoc quadrupliciter . Primo quidem, quantum ad intellectum : & sic est pertinacia, per quam homo nimis innititur suæ sententiæ, nolens credere sententiæ meliori . Secundo, quantum ad voluntatem : & sic est discordia, dum nõ vult à propria voluntate discedere vt alijs concordet . Tertio, quantum ad locutionem : & sic est contentio, cum aliquis verbis clamosè contra alium litigat . Quarto, quantum ad factum : & sic est inobediencia, dum scilicet aliquis non vult exequi superioris præceptum .

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut supra dictum est *, iactantia ponitur species superbiæ quantum

q. 112. a. 1. ad 2.

108 QVÆST. CXXXII. ART. V.
lib 4 c. 7. 10. 5.
tum ad interiorem causam eius, quæ est arrogantia. Ipsa autem iactantia exterior, ut dicitur in 4. Ethic. † ordinatur quandoque quidem ad lucrum, sed frequen-
tius ad gloriam & honorem. Et sic oritur ex inani gloria.

Ad secundum dicendum, quod ira non causat dis-
seordiam & contentionem, nisi cum adiunctione ina-
nis gloriæ, per hoc scilicet quod aliquis sibi gloriosum
reputat quod non cedat voluntati vel verbis aliorum.

Ad tertium dicendum, quod inanis gloria vitupe-
ratur circa eleemosynam, propter defectum charita-
tis, qui videtur esse in eo qui præfert inanem gloriam
utilitati proximi, dum hoc propter illud facit. Non
autem vituperatur aliquis ex hoc quod præsumat eleo-
mosynam facere, quasi aliquid novum.

QVÆST. CXXXIII.

De Pusillanimitate, in duos articulos diuisa.

Deinde considerandum est de Pusillanimitate.

¶ Et circa hoc queruntur duo.

¶ Primo, utrum pusillanimitas sit peccatum?

¶ Secundo, cui virtuti opponatur.

ARTIC. 1.

Utrum pusillanimitas sit peccatum?

660
4 Eth. le. 11.
lib 4 c. 3. paulo an te si. 10. 5. † l. 4. c. 1. non mul tu a pri. 10. 5. li. 4. c. 2. ante me. 10. 5.
AD primum sic proceditur. Videtur, quod pusil-
lanimitas non sit peccatum. Ex omni enim pec-
cato aliquis efficitur malus, sicut ex omni virtute
aliquis efficitur bonus. Sed pusillanimus non est ma-
lus, ut Philosophus dicit in 4. Ethic. * Ergo pusillani-
mitas non est peccatum.

¶ 2. Præterea, Philosophus † dicit ibidem, quod
maximè videtur pusillanimus esse, qui magnis bonis
dignus existit, & tamen his non dignificat seipsum.
Sed nullus est dignus magnis bonis nisi virtuosus: quia
ut Philosophus ibidem dicit *, secundum veritatem
solus bonus est honorandus. Ergo pusillanimus est
virtuosus. Non ergo pusillanimitas est peccatum.

¶ 3. Præterea, Initium omnis peccati est superbia,
ut dicitur Ecclesiast. 10. Sed pusillanimitas non pro-
cedit